76 19/4

+

Rmo in Christo patri et Dno, Dno Dei et Apostolicae Sedis gratia Epo, eiusque Rndo
Dno in regimine et administratione spiritualium et temporalium Coadiutori, seu locumte-
nenti, et vices gerenti, necnon Venerabilibus & Eximijs viris Dnis Decano,
Custodi, Cantori, et Canonicis totique Capitulo Ecclesiae Varmien., omnibusque alijs et singulis
quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, quibuscunque
nominibus censeantur, aut quacunque fulgeant dignitate. Sampson à Worein
V. J. Doctor, Canonicus et officialis Varmien., Judex et Executor unicus ad in-
frascripta à Sede Apostolica specialiter deputatus, Salutem in Dno, et nostris huiusmodi, imo
verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Literas SSmi in Christo patris & D. N.
Dni Gregorij divina providentia Papae XIII eius vera bulla plumbea, in
cordulis canabinis, more Ro: Curiae impendente bullatas, sanas et integras,
non cancellatas, viciatas, seu aliqua sui parte suspectas, sed prorsus omni vitio
& suspitione carentes, ut in eius prima facie apparebat, nobis per Vlem
virum D. Balthasarem Niemczick clericum Culmen. dioecesis coram Notario publico
et testibus infrascriptis praesentatas, ea qua decuit reverentia noveritis nos re-
cepisse, huiusmodi sub tenore. Gregorius Epus servus servorum dei, Dilecto fi-
lio Officiali Varmien. Salutem et Apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur et congruum
ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita lau-
dabiliter suffragantur. Dudum siquidem omnes Canonicatus et praebendas ceteraque beneficia ec-
clesiastica apud dictam sedem tunc vacantia & in antea vacatura collationi &
dispositioni nostrae reservavimus. Decernentes extunc irritum et inane, si secus super
his à quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.
Cum itaque postmodum Canonicatus et praebenda Ecclesiae Varmien. per liberam resignationem
dilecti filij Stanislai Cosska nuper ipsius Ecclesiae Canonici, de illis quos tunc obtine-
bat, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam, apud sedem eam-
dem vacaverint & vacent ad praesens, nullusque de illis praeter nos hac vice
disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis.
Nos volentes dilectum filium Balthasarem Niemczick clericum Culmen. asseren-
tem praefatum Stanislaum in nullo ex sacris ordinibus constitutum existere, apud
nos de vitae ac morum honestate, alijsque probitatis et virtutum meritis mul-
tipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso: ipsumque Balthasarem
a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs,
censuris et poenis, à iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus
quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum se-
rie absolventes et absolutum fore censentes; discretioni tuae per Apostolica scripta
mandamus quatenus si dictus Stanislaus in nullo ex sacris ordinibus constitutus
existat, et praefatum, ac per diligentem examinationem dictum Balthasarem ad hoc
idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, Canonicatum et praebendam praedictos,
quorum et illis forsan annexorum, fructus, redditus, & proventus viginti quat-
tuor ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum,
ut dictus Balthasar etiam asserit, non excedunt, sive praemisso sive alio quovis
modo, aut ex alterius cuiuscunque persona, seu per similem resignationem

Sampson a Worein

dicti Stanislai vel cuiusuis alterius de illis in Ro: Cur: vel extra ea
etiam coram Notario publico et testibus sponte facta, aut assecutione alterius
beneficij ecclesiastici quauis auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacauerit,
quod eorum collatio iuxta Lateranen. Statuta Concilij ad sedem predictam legitime
deuoluta, ipsique Can.tus et prebenda dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reser-
uati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi
volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eorum dispositio ad nos hac
vice pertineat, cum annexis huiusmodi et plenitudine iuris canonici ac omnibus
iuribus et pertinentijs suis eidem Balthasari intra xxx dies postquam pre-
sentes literas tibi presentate fuerint, auctoritate nostra conferas et assignes. Inducens
per te, vel alium, seu alios eundem Balthasarem vel procuratorem suum eius nomine
in corporalem possessionem Can.tus et prebende, ac annexorum iuriumque et pertinentiarum
predictorum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens
Balthasarem vel pro eo procuratorem predictum, ad prebendam huiusmodi in dicta Ecclesia
in Canonicum recipi, et in fratrem, stallo sibi in Choro et loco in Capitulo ipsius
Ecclesie cum dicti Juris plenitudine assignatis, sibique de Can.tus et prebende ac an-
nexorum eorundem fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus et obuentionibus
vniuersis, integre responderi. Contradictores dicta auctoritate nostra appellatione
postposita compescendo. Non obstantibus fel: recor: Bonifacij Pape viij.
predecessoris nostri, et alijs apostolicis constitutionibus ac dicte ecclesie juramento con-
firmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis et consue-
tudinibus contrarijs quibuscunque. Aut si aliqui apostolica vel alia quauis
auctoritate in dicta ecclesia in Can.tos sint recepti, vel ut recipiantur, insi-
stant: seu si super prouisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis
dicte ecclesie speciales vel alijs beneficijs ecclesiasticis in illis partibus generales di-
cte Sedis vel Legatorum eius literas impetrauerint, etiamsi per eas ad in-
hibitionem, reseruationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quibus
omnibus dictum Balthasarem in assecutione dictorum Can.tus et prebende volumus
anteferri: sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem Can.tuum et pre-
bendarum vel beneficiorum aliorum preiudicium generari: Seu si Venerabili fratri nostro
Epo et dilectis filijs Capitulo Vormacien. vel quibusuis alijs communiter vel
diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel proui-
sionem alicuius minime teneantur. Et ad id compelli, aut quod interdici,
suspendi vel excommunicari non possint: quodque de Canonicatibus et prebendis ipsius
Ecclesie, vel alijs beneficijs ecclesiasticis ad eorum collationem, prouisionem, presentationem
seu quamuis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli va-
leat prouideri per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo
ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et qualibet alia dicte Sedis in-
dulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non
expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat, quomodo-
libet vel differri. Et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis men-
tio specialis: seu si dictus Balthasar presens non fuerit, ad prestandum de obseruan-
dis

28v

dis statutis & consuetudinibus dictae Ecclesiae solitis iurantium, dummodo in absentia
sua per procuratorem idoneum, et cum ad Ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud
praestet. Caeterum ne donum pdictis studeamus aliqua forte surrepat iniquitas
in exitum earum, tu attente ipsius circumspicias, an ex parte Stanislai et
Balthasaris praedictorum super dicta resignatione vel fiendi, quod nos nullo huius-
modi vitio laborare comprehendimus, intercesserit symoniae labes, aut ali-
qua alia illicita pactio vel alia corruptela. Nos enim, prout est, irri-
tum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scien-
ter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum
contigerit attemptari. Datum Romae apud S. Petrum. Anno incarnationis Domini-
cae, Millesimo quingentesimo septuagesimoquinto. tertio Idus Decembris.
Pontificatus nostri anno quarto. Post quarum quidem literarum apostolicarum praesentationem
ac receptionem, nobis et per nos, ut praemittitur, factas, fuimus per prae-
fatum Balthasarem principalem in praescriptis literis apostolicis principaliter nominatum,
et coram nobis personaliter constitutum, debita cum instantia requisiti, quatenus
ad executionem earundem literarum & contentorum in eisdem, procedere dignare-
mur, iuxta traditam seu directam per nos a Sede apostolica nobis formam.
Nos igitur Officialis, Iudex et Executor praefatus, attendentes requisitionem huiusmodi
fore iustam, & rationi consentaneam, volentesque mandatum apostolicum suprascriptum
nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur: imprimis
constito nobis liquido, quod praefatus D. Stanislaus Costka resignans in nul-
lo ex sacris ordinibus constitutus existat, praefatum D. Balthasarem coram nobis
propter hoc personaliter constitutum examinavimus diligenter. Et quia per dili-
gentem huiusmodi examinationem a nobis factam, comperimus ipsum in literatura
sufficientem & idoneum ad Canonicatum & praebendam in Ecclesia Varmiensi
de quibus in praescriptis literis apostolicis fit mentio, obtinendum: neque aliquam
in & super resignatione supradicta, symoniae labem, aut illicitam pa-
ctionem, vel aliam corruptelam intervenisse deprehendere potuimus: &
aliud canonicum non obstare, quominus dictae literae apostolicae suum debitum
sortiantur effectum, invenimus. Idcirco apostolica auctoritate nobis commissa, et
qua fungimur in hac parte, Canonicatum & praebendam praedictos, per
resignationem et alias, ut praefertur, omnibus casibus vacationis expressis
quovis modo vacantes, cum annexis et plenitudine iuris Canonicalis ac omnibus iu-
ribus et pertinentiis suis, eidem D. Balthasari ibidem praesenti, & id humi-
liter fieri petenti (Cum nihilominus nobis non constito, quod tempore datarum dic-
tarum literarum apostolicarum esset in eisdem Canonicatu & praebenda, alicui ius specialiter
quaesitum) contulimus & assignavimus, conferimusque & assignamus ac
providemus etiam de eisdem. Necnon eundem D. Balthasarem in corpora-
lem possessionem seu quasi, dictorum Canonicatus & praebendae, ac annexorum iuriumque

et pertinentiarum praedictorum (vel melius potuit & debuit) posuimus
& induximus, ponimusque & inducimus ac investimus etiam de
eisdem praesentium per tenorem. QUAE omnia et singula, necnon literas
apostolicas huiusmodi, et hunc nostrum processum, ac omnia & singula in eis con-
tenta, vobis omnibus & singulis supradictis, quibus sive cui praesens processus di-
rigitur, intimamus, insinuamus & notificamus, ac ad vestram &
cuiuslibet vestrum notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes. Vosque
nihilominus, et vestrum quemlibet tenore praesentium requirimus et monemus,
primo, secundo, tertio, et peremptorie communiter vel divisim, ac vobis ac
vestrum cuilibet in solidum in virtute sanctae obedientiae, et sub infrascriptis
sententiarum poenis districte praecipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum
spacium post praesentationem seu notificationem dictarum literarum apostolicarum, et praesentis nostri
processus, ac requisitionem vobis seu alteri vestrum factas, et postquam pro parte
dicti D. Balthasaris principalis vigore praesentium super hoc fueritis requisiti,
seu aliquis vestrum fuerit requisitus, immediate sequentium, quorum sex dierum
duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies vobis et univer-
sis et singulis supradictis pro tertio & peremptorio termino, ac monitio-
ne canonica assignamus: eundem D. Balthasarem vel procuratorem
suum eius nomine, in et ad corporalem, realem et actualem possessionem
Canonicatus et praebendae, iuriumque et pertinentiarum praedictorum recipiatis et in-
ducatis, et ab aliis recipi et induci faciatis, ac inductum defendatis,
amoto exinde quolibet illicito detentore, quem et nos (inquantum
possumus) auctoritate & tenore praemissorum, amovemus et denunciamus amo-
tum: ipsumque D. Balthasarem, vel procuratorem suum praedictum pro eo, ac ca-
dem praebendam in memorata Ecclesia Varmiensi in Canonicum recipiatis et
in fratrem: stallumque sibi in choro, et locum in capitulo ipsius Ecclesiae, cum
dicti iuris plenitudine assignetis: ac eundem D. Balthasarem, vel
procuratorem praedictum pro eo, ad dictos Canonicatum et praebendam (ut moris est)
admittatis, sibique de ipsorum Canonicatus seu praebendae fructibus, redditibus, proven-
tibus, iuribus et obventionibus universis, (prout ad vos communiter vel di-
visim pertinet) respondeatis, et faciatis ab aliis (quantum in vobis fu-
erit) plenarie & integre responderi. Quod si forte, praemissa omnia & sin-
gula non adimpleveritis, seu distuleritis contumaciter adimplere, man-
datisque et monitionibus nostris huiusmodi, immo verius Apostolicis, non paru-
eritis realiter & cum effectu: nos in vos omnes et singulos supradictos, qui
culpabiles fueritis in praemissis, et qualiter in praedictorum quoslibet
et rebelles, ac impedientes ipsum D. Balthasarem principalem, vel procuratorem
suum eius nomine, super praemissis in aliquo, aut dantes auxilium, con-
silium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis

colore quesito, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis
existant, exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc, singulariter in singulos
contradictores, sex dierum canonica monitione praemissa, excommunicationis: In Ca-
pitulum vero Ecclesiae Varmien. praedictae suspensionis à divinis; et in ipsam
Ecclesiam Varmien. interdicti ecclesiastici sententias, ferimus in his scriptis,
et etiam promulgamus. Vobis vero Rmo patri D. Epo praefato duntaxat
excepto: cui ob reverentiam vestrae pontificalis dignitatis deferimus
in hac parte: si contra praemissa vel ipsorum aliquod feceritis, seu fie-
ri mandaveritis, per vos vel submissas personas, publice vel oc-
culte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, extunc prout
exnunc, praedicta sex dierum canonica monitione praemissa, ingressum
Ecclesiae interdicimus in his scriptis. Si vero huiusmodi interdictum per
alios sex dies praefatos sex immediate sequentes sustinueritis, vos in
eisdem scriptis simili monitione canonica praemissa, suspendimus à
divinis. Verum si memoratas suspensionis & interdicti sententias
per alios sex dies ipsos duodecim immediate sequentes, animo (quod ab-
sit) sustinueritis indurato, vos exnunc prout extunc, et contra
huiusmodi canonica monitione praemissa, in his scriptis, excommunicationis
sententia auctoritate apostolica supradicta innodamus. Absolutionem omnium
et singulorum, qui praedictas nostras sententias, aut earum aliquam incurrerit,
seu incurrerint quoquo modo, nobis vel superiori nostro tantum-
modo reservamus. In quorum omnium et singulorum fidem praemissorum, prae-
sentes literas, sive praesens publicum instrumentum exinde fieri, et per Notarium pub-
licum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique Officiala-
tus sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum et
Actum apud E. Warm. in aedibus habitationis nostrae, extra Castrum Domi-
nae nostrae sitis, sub anno à nativitate Domini M. D. LXXVI. Indictione
plibuti quarta, Die vero XIX mensis Aprilis, Pontificatus SSmi in Christo patris
& Domini nostri D. Gregorii divina providentia Papae XIII. anno
quarto. Praesentibus ibidem Rndo et Eximio D. Michaele Conarsky
Can.co Varmien. et Paulo Wal Vicario in praefata Ecclesia Varm.
testibus ad praemissa vocatis specialiter atque rogatis.

Promiſsio ·D· Balthaza-
ris Nirmezick.

31v